Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2127
Quelle:
Copyright:

Cur ego, ſi nequeo aut ignoro, Poeta ſalutor.
Romani pedites tollent equitesque cachinnum.
Difficile eſt proprie communia dicere quaeque.
Nec deus intererit, dignus niſi vindice nodus. &c.

DLIX.

526 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 161. 4. nitide exaratus, rubricisque diſtinctus continet: I. *Richardi* Scoti Canonici Reg. S. *Victoris Pariſini* anno 1173. vivis exemti Opus myſticum, quod in *Indiculo* praevio adpellatur *de Benedictionibus Patriarcharum*, alias *Benjamin minor*, ſive *de Praeparatione Animi ad Contemplationem.* Legitur illud in Edit. *Opp. Richardi, Colon.* 1621. 4. p. 178. alia *Capitum* diviſione, quam quidem in *Codice.* Initium ejus eſt: *Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Audiant adoleſcentuli ſermonem de adoleſcente! evigilent ad uocem prophetę* &c. Textus correctus cum Impreſſis pulcre conſpirat. Ultima egregii Tractatus ſunt: *diuine reuelationi humana ratio applaudit.*

II. *fol.* 64. ſequuntur quaedam D. *Caecil. Cypriani* Opera praemiſſo *Hieronymi* teſtimonio e Lib. *de Viris illuſtrib.* et aliis, quibus *Cypriani* meminit. Et primo quidem absque inſcriptione Liber *de Gratia Dei ad Donatum*, qui incipit: *Bene ammones donate kariſſime. nam et promiſiſſe me memini* &c. Contentus cum edit. *Baluziomaur. Venet.* 1728. f. lectiones quasdam offert doctis illis Viris non obſervatas. Ita ſub principium: *et lenes aurę blandientis autumni* pro *ad lenes auras.* Mox: *petamus hanc ſedem, dent ſeceſſum* pro *dant ſeceſſum.* Dein: *calamos* pro *arundines* &c.

III. *fol.* 71. *Incipit liber de habitu virginis.* ſed manu coaeva impoſitum *um* i. e. *virginum.* Initium: *Diſciplina cuſtos ſpei. retinaculum fidei* &c. Editio *cit. col.* 353. paullo poſt medium legit: *quid magis velle ac tenere nos convenit* &c. Noſter vero: *quid magis velle teneros convenit;* quod praefero. Sequitur enim: *quam ut radicibus fortius fixis* &c.

IV. *fol.* 81. *Incipit liber de lapſis.* Initium: *Pax ecce dilectiſſimi fratres ęccleſię reddita eſt* &c. Nihil inobſervatum Editoribus.

V. *fol.* 95. *Incipit liber de catholice ęccleſię unitate.* Initium: *Cum moneat dominus et dicat. uos eſtis ſal terrę* &c. Mox ſub initium malo: *animus antę preſtituitur*, quam *praeſtruitur*, et deinceps: *veſtigiis Chriſti uincentis* quam *viventis.*

V. *fol.* 106. *Incipit liber de dominica oratione.* Initium: *Euangelica pręcepta fratres dilectiſſimi nichil ſunt aliud* &c. Inter lectiones varias Editio *cit. col.* 415. non adnotat noſtram: *deum de ſuo ore rogare*, quae non improbabilis, cum ſermo fit de Oratione, quam Chriſtus docuit. Ipſa omittit